

Videns ihesus turbas ascendit in montem. Et cum decendisset ipse accesserunt ad eum discipuli eius et aperiens os suum, docebat eos dicens.

Vide quod honoris amorem et tumorem spernit. Non enim circumduxit eos secum. Sed quando curare quidem oportebat, ipse circuibat ubique et ciuitates et regiones **episcopans**. Quando autem multa turba facta est, in uno sedet loco. Et non in ciuitate et foro medio, sed in monte et solitudine. Erudiens nos nichil ad ostentacionem facere et a tumultibus qui sunt in medio abscedere. Et maxime eum philosophari et de **necessariis** disputare rebus oportuerit. Cum ascendisset autem ipse et sedisset accesserunt discipuli. Vides eorum uirtutis uegetacionem, et qualiter repente meliores facti sunt. Alii enim miraculorum erant inspectores. Hii autem et audire aliquid iam desiderabant magnum et excelsum, quod et in doctrinam hanc hunc immissit, et sermonem hunc incipere fecit. Neque enim corpora curauit solum sed et animas emendabat, et rursus studio horum, ad studium illorum transibat, et uarians simul utilitatem et remiscens sermonum doctrine, ostentacionem que est ab operibus, et inuerecunda hereticorum obstruens ora, per ea quibus de alterutra substancia curam habeat. Monstrans quod **integri** animalis est conditor. Ideoque multam utriusque nature habebat prouidenciam. Nunc quidem illam, nunc autem hanc emendans. Quod utique et tunc faciebat. Aperiens enim ait os suum docebat eos. Et cur appositum est aperiens os suum? ut discas quoniam et silens erudiebat, non loquens solum. Sed **hunc** quidem os aperiens, nunc autem uocem que est ab operibus emittens. Cum autem audieris quod docebat eos, non discipulis eum loqui estima solum. Quoniam enim multitudo plebeiam erat, et ab humilibus uenerat locis, discipulorum quorum substituens ad illos facit sermonem, in locucione que est ad eos, et reliquis omnibus qui ualde deficiebant, ab his que dicebantur non honerosam fieri preparans philosophie doctrinam, quod et lucas enigmatische insinuans dixit. Quoniam sermonem conuertit ad ipsos. Et matheus autem hoc ipsum monstrans scripsit. Quoniam accesserunt ad eum discipuli eius et eos docebat. Ita enim et reliqui intendere audius debebant, quam si ad **uniuersos** **eum** extenderet. Inde igitur incipit et qualia fundamenta ponit noue uestre **urbanitatis**? Audiamus cum diligentia que dicuntur. Dicta enim sunt ad illos, scripta sunt et propter uniuersos posteriores. Propterea intendeat quidem discipulis contionans. Non in illis autem circumsistit ea que dicuntur, sed indeterminate introducit beatitudines uniuersas. Neque enim dixit beati estis uos si pauperes efficiemini. Sed beati pauperes. Quamuis etsi illis dixisset commune hoc consilium futurum esset. Etenim cum dicat ecce uobiscum sum, omnibus diebus usque ad consumationem seculi, non ad illos dicit solos, sed et per illos ad orbem terrarum uniuersum, et cum eos beatificat persecucionem passos et abactos et intollerabilia patientes, non illis solum, sed et omnibus qui eadem dirigunt, complicat coronam. Verumtamen ut et manifestius hoc fiat, et discas quia et ad te communionem habent multam que dicuntur, et ad uniuersam hominum naturam, si aliquis uoluerit intendere, audi qualiter mirabiles has incipit beatitudines dicens, beati pauperes spiritu humiles et contriti mente. Spiritum enim

Commented [EK1]: uel uisitans *add. super lin.*

Commented [CN2]: [fol.47ra]

Commented [EK3]: anime et corporis *add. super lin.*

Commented [EK4]: id est quandoque *add. super lin.*

Commented [CN5]: [fol.47rb]

Commented [CN6]: sermonem *add. super lin.*

Commented [EK7]: uel conuersationis *add. super lin.*

hic, animum et **eleccionem** dixit. Quoniam enim sunt multi humiles nolentes, arerum necessitate coacti, relinquens illos. Neque enim erat hec laus, eos qui ex eleccione seipsos humiliant et constringunt, beatificat primos. Et qua de causa non dixit humiles, sed pauperes? quoniam hoc illo amplius est. Formidantes enim hic ait, et trementes dei uisiones, quos et per isaiam profetam ualde comendans deus dixit. Super quem inspiciam nisi super mitem, et quietum, et trementem meos sermones. Etenim multi sunt humilitatis modi. Et hic quidem **est** humilis moderatus, hic autem cum superhabundatia uniuersa. Hanc et beatus propheta laudat humilitatem. Non simpliciter cohartatam mentem nobis subscribens, set ualde contritam, per ea que ait, sacrificium deo, spiritus contritus, cor contritum et humilitatum deus non adnichilabit. Et pueri autem tres, hoc pro sacrificio magno offerunt deo dicentes. Sed in anima contrita, et spiritu humilitatis acceptemur. Hanc et christus beatificat nunc. Quoniam enim maxima malarum et uniuerso orbi terrarum nocencia, elatione ingressa sunt, diabolus enim non existens ante hoc talis, ita diabolus factus est. Quod et paulus manifestans ait, ut non extollaris iniudicium incides diaboli, et primus homo ac spe a diabolo inflatus eneruatus est et mortalis effectus est, expectans enim **futurus** esse **deus**, et quod habebat perdidit, quia et deus in properans ei, et amenciam eius increpans dixit, ecce adam factus est ut unus ex nobis. Et unus quisque autem posteriorum, hinc in impietatem excidit. Deo equalitatem imaginatus. Quoniam igitur hec malorum ars fuit, et radix, et fons malicie uniuerse, egritudini **coalternum** preparat pharmacum, uelut fundamentum quoddam forte et stabile, hanc primam premitit legem. Hac enim subiecta cum stabilitate uniuersa, alia super ponit fabricans. Hac autem destructa, etsi usque ad celos peruenerit **urbanitas**, omnia subtrauntur facile, et in malum subuertuntur finem, etsi ieiunium, etsi orationem, etsi misericordiam, etsi sobrietatem, etsi aliud quodcumque congregaueris bonum sine humilitate, omnia **recinduntur** et pereunt, quod et in phariseo factum est. Etenim postquam deuenit in ipsam bonorum summitatem, omnia perdens descendit, quoniam matrem bonorum non habebat. Sicut enim elatio fons omnis malitie est, ita humilitas philosophie uniuerse est principium. Ideoque hinc incipit, radicatus euellens ex anima audiencium superbiam. Et quid hoc ad discipulos ait qui utique erant humiles, neque enim habebant occasionem aliquam elationis, piscatores et inopes existentes, et ignobiles et idiote? etsi non ad discipulos hec sunt, set ad presentes tunc, et ad eos que postea erant suscepturi, ut propter hec non eos contempnant. Magis autem et ad discipulos. Etsi enim non tunc sed postea debebant indigere utilitate hac. Post signa et miracula et orbis terrarum honorem, et liberam ad deum presentiam. Neque enim diuitie neque potencia, non ipsum regnum ita extollere erat sufficiens, ut uniuersa que illis extiterunt. Sed et aliter ante signa decens erat eos et tunc extolli, multitudinem uidentes, et theatrum illud quod circumstabat magistro. Et pati aliquid humanum. Ideo ipsorum confestim substringit cogitacionem. Et non introducit in ordine suasionis et uisionis que dicuntur, minus honerosum sermonem faciens, et omnibus aperiens discipline stadium. Non enim dixit ille, et ille, sed qui hec faciunt, omnes beati. Quare etsi seruus es, etsi pauper, etsi inops, etsi alienus, etsi idiota, nichil est quod prohibeat esse te beatum, si uirtutem hanc zelatus fueris. Incipiens igitur hinc, unde maxime oportebat, procedit ad aliud mandatum, quod contrarium estimatur esse, **orbis** terrarum calculo. Vniuersis enim eos qui letantur, **zelotes** esse estimantibus. Eos autem, qui in tristicia, et inopia, et luctu miseros. Ipse hos pro illis beatificat dicens ita. Beati qui lugent. Quamuis uniuersi eos miseros nuncupant. Propterea enim preassumens signa operatus est, ut talia in legislacionem deducens, fide dignus sit. Et hic autem rursus. Non simpliciter eos qui lugent posuit, set et eos qui pro peccatis hoc

Commented [EK8]: uel confilium *add. super lin.*

Commented [CN9]: [fol.47va]

Commented [EK10]: uel futuriis *add. super lin.*

Commented [EK11]: uel diis *add. super lin.*

Commented [EK12]: id est simile *add. super lin.*

Commented [EK13]: conuersatio *add. super lin.*

Commented [CN14]: [fol.47vb]

Commented [CN15]: [fol.48ra]

Commented [EK16]: immitandos *add. super lin.*

faciunt. Quia aliud ualde est prohibitum **in** aliquo uite huius lugere, quod et paulus significabat dicens. Quoniam mundi quidem tristitia, mortem operatur. Hos igitur et ipse beatificat, qui ita tristantur. Et neque ipse eos qui tristantur posuit, set eos qui cum intensione. Ideo neque dixit qui tristantur, sed qui lugent. Etenim hoc rursus mandatum, omnis est philosophie magister. Si enim qui **pueros** et **mulieres** uel alium quendam necessariorum, defunctum lugent, non peccunias non **corpora** concupiscunt, secundum illud doloris tempus, non gloriam desiderant, non conuiciis exacuuntur, non ab emulatione possidentur, non ab alia aliqua passione capiuntur, luctui subiecti solum, multo magis qui peccata sua lugent, ut lugere dignum est, maiorem hac demonstrabunt philosophiam, deinde, quod erit **brauium**? quoniam ipsi consolabuntur ait. Vbi consolabuntur dic michi? et hic et illic. Quoniam enim hoc preceptum ualde graue et honorosum. Quod maxime ipsum leue faciebat hoc promisit se esse daturum, quare si uis consolari luge. Et ne estimes enigma esse quod dicitur. Cum enim deus consoletur, etsi decem mille nubes **tristium**, superuenerint, omnibus superior eris. Etenim multo maiores semper laboribus dat retributiones deus quod utique et hic fecit. Beatos enuncians eos qui lugent, non secundum rei dignitatem **sed** secundum dignitatem filantropias id est amicitie hominum que est secundum ipsum. Quod non dignitatis rei, set eius filantropias id est amicitie hominum est. Qui enim lugent, delicta lugent. Talibus autem sufficit uenia frui, et excusatione potiri. Sed quoniam ipse uehementer est filantropos id est amicus omnium, neque in suppliciorum destructione, neque in peccatorum liberatione, retributionem sistit, set et beatos facit, et multarum facit participes consolationum, lugere autem propriis solum set pro alienis iubet delictis. Quales sanctorum erant anime, qualis erat que moisi, qualis erat que pauli, que dauit. Etenim et hi omnes, aliena multociens luxerunt mala. Beati mites quoniam ipsi hereditabunt terram. Qualem terram dic michi? Quidam intellectualem dicunt, sed non hoc est. Nusquam enim inuenimus in scriptura terram intellectualem, set quid est quod dictum est? sensibile ponit brauium, sicut et paulus. Dicens enim honora patrem tuum et matrem tuam, induxit, ita enim eris longeuus super terram. Et ipse latroni rursus. Hodie mecum eris in paradiso. Neque enim a futuris bonis **promouet** solum, sed et a presentibus propter crossiores auditorem, et ante futura querentes illa. Propter hoc itaque et procedens dixit. Sis bone mentis cum aduersario tuo. Deinde talis philosophiae brauium ponit, et ait, ne quando te tradat aduersarius iudici. Et iudex ministro. Vides unde terruit? A sensibilibus, ab his que ante oculos contingunt et rursus. Quicumque dixerit fratri suo racca, debitor erit concilio. Et paulus autem multociens sensibilia ponit brauia, et a presentibus **promouens**. Puta, cum de uirginitate disputat. Nichil enim de celestibus dicens illuc tamen interim a presentibus inducit dicens, propter instantem **necessitatem**. Et ego autem uobis parco, et uolo autem uos sine sollicitudine esse. Sic utique et christus spiritualibus sensibilia remisit. Quoniam enim estimatur qui mitis est omnia sua perdere, contrarium promittit dicens, quoniam hic quidem est, qui cum stabilitate ea que sunt possidet, qui non est pertinax neque proteruus, qui autem talis est, et paterna dimittit multociens, et ipsam animam. Sed et aliter quoniam in ueteri testamento continue propheta mites hereditabunt terram, dixit, a consuetis eis uerbis, contextit sermonem, ut non ubique aliena insonaret, hec autem dicit non usque ad presencia sistens retributiones. Sed cum his et illa tribuens. Siue enim aliquid spirituale dixerit, non aufert ea que sunt in presenti uita. Siue aliquid eorum que in uita hac sunt rursus promisserit, non usque adhoc promissionem sistit. Querite enim ait regnum dei et hec omnia adicientur uobis. Et rursus quicumque dimiserit domum uel fratres, centuplum accipiet in seculo hoc, et in futuro uitam eternam possidebit. Beati

Commented [EK17]: id est *add. super lin.*

Commented [EK18]: filios *add. super lin.*

Commented [EK19]: uxores *add. super lin.*

Commented [EK20]: ueneria *add. super lin.*

Commented [EK21]: premium *add. super lin.*

Commented [CN22]: uel tristiarum *add. super lin.*

Commented [CN23]: [fol.48rb]

Commented [EK24]: incitat *add. super lin.*

Commented [EK25]: incitans *add. super lin.*

Commented [CN26]: [fol.48va]

qui esuriunt in sicut iusticiam. Quam iusticiam? uel uniuersalem ait uirtutem uel particularem, hanc contrariam auaricie existentem. Quoniam enim de misericordia inuicturus est, monstrat qualiter misereri oportet. Puta, quoniam non ex rapina neque ex auaricia. Beatificat autem eos qui iusticiam habent. Et uide cum quanta id ponit, superhabundantia. Non enim dixit beati qui iusticiam habent, set beati qui esuriunt et sitiunt iusticiam, ut non simpliciter, sed cum omni desiderio ipsam adipiscamur. Quoniam enim hoc maxime proprium auaricie est, et non ita cupimus cibum et potum, sicut ampliora possidere et acquirere, desiderium hoc quod est circa auariciam, transponere iussit. Deinde rursus sensibile brauium determinat dicens. Quoniam ipsi saturabuntur. Quia enim estimatur auaricia abundantes facere multos, dicit, quoniam contrarium quidem est. Iusticia enim hoc operatur. Non igitur iusta agens, time inopiam, neque trenie famem. Quid enim rapiunt, hii maxime sunt qui ab omnibus cadunt. Sicut qui iusticiam cupit, omnia ipse habet cum stabilitate. Si autem qui aliena non concupiscunt tanta fruuntur abundantia, multo magis qui sua proiciunt. Beati misericordes, hic non eos qui per pecunias miserentur solum, michi uidetur dicere, sed et eos qui peres. Varius enim est misericordie modus, et latum est hoc mandatum. Quid igitur eius es premium? quoniam ipsi misericordiam consequentur. Et uidetur quid retributio quedam equalis esse. Est autem multo maior direccione. Ipse autem miserentur ut homines. Misericordiam autem consequentur ab uniuersorum deo. Non est autem equalis humana misericordia et diuina. Sed quantum bonitatis et malicie est medium. Tantum hec ab illa distat. Beati mundi corde, quoniam ipsi deum uidebunt. Ecce rursus spirituale premium. Mundos autem hic ait, uel eos qui uniuersalem uirtutem possident, et nullius malicie sibi ipsis conscii sunt, uel eos qui insobrietate consistunt. Nullius enim nobis ita est necessitas ad uidendum deum, ut uirtutis huius. Ideoque paulus ait. Pacem persequimini cum omnibus, et sanctificationem sine qua nullus uidebit dominum. Visum autem hic ait eum, quem homini possibile est deum uidere. Quoniam enim multi miserentur quidem, et non rapiunt, neque auari sunt, adulterant autem, et impudica agunt, monstrans quod non sufficit quod primum est, et hoc apposuit, quemadmodum et paulus macendonibus testatus est, corinthiis mittens, quoniam non solum misericordia ditabunt, sed et alia uirtute. Dicens enim de honore eorum, his qui impeccuniis erant ait, quoniam et seipsos dederunt domino et nobis. Beati pacifici, hic non litigare aduersus seipsos solum, sed odire adinuicem destruit. Sed et aliud aliquid amplius inquirat, ut et alios litigantes congregemus. Et rursus spirituale inducit premium. Quale utique hoc est, quoniam ipsi filii dei uocabuntur. Etenim unigeniti opus est hoc congregare ea que distiterunt, et permutare que preliata sunt. Deinde ut non estimes quod ubique pax sit bonum, induxit. Beati qui persecutionem passi sunt propter iusticiam, hoc est propter uirtutem id est propter prostasiam que est pro aliis, propter pietatem, iusticiam enim assueuit semper, uniuersam anime philosophiam dicere, beati estis cum exprobrauerint uos et persecuti fuerint, et dixerint omne pernitiosum uerbum aduersum uos, mentientes propter me. Letamini et exultate. Vt puta etsi ariolos, etsi erroneos, etsi noxios, etsi aliud quodcumque uocauerint, beati estis ait. Quid his nouius fiet utique preceptis, cum ea que ab aliis sunt fugienda, hec amabilia esse dicit, pauperem esse dico, et lugere et persecutionem pati, et male audire? Sed tamen dixit, et suasit, non duodecim, et uiginti, et centum, et mille omnes, sed orbem terrarum uniuersum, et audientes grauia et onerosa, et contraria multorum consuetudini stupefacte sunt turbe, tanta erat sermonis uirtus. Veruntamen ut ne estimes, quoniam mala audire simpliciter beatos facit, duas posuit determinaciones, quando et propter ipsum et mendacia fuerint que dicuntur, quoniam nisi hec

Commented [CN27]: [fol.48vb]

Commented [EK28]: uel puri add. super lin.

Commented [EK29]: diuitibus add. super lin.

Commented [EK30]: pace uel concordemus add. super lin.

Commented [EK31]: distabant add. super lin.

Commented [CN32]: [fol.49ra] pacificare add. super lin.

Commented [EK33]: aduersata add. super lin.

Commented [EK34]: id est ante stare pro aliis. id est obiectionem uel defensionem add. super lin.

Commented [EK35]: seductores add. super lin.

Commented [EK36]: christum add. super lin.

assuerint, non solum non beatus, sed et miser est qui mala audit. Deinde uide premium rursus. Quoniam merces uestra multa est in celis. Tu autem etsi non secundum unamquamque beatitudinem, regnum audis donatum, ne tristeris. Etsi enim differenter nominat retributiones, sed omnes in regnum inducit. Etenim cum dicat, consolabuntur qui lugent, et misericordiam consequentur, misericordes, et deum uidebunt mundicorde, et filii dei uocabuntur pacifici, nichil aliud quam regnum per hec uniuersa enigmatace insinuat. Qui enim his fruuntur, illo potientur omnino. Non igitur spiritu pauperum solum estima esse premium, sed et esurientem iusticiam, et inicium et aliorum omnium uniuersaliter. Per hec enim in omnibus beatitudinem posuit, ut nichil sensibile expectes. Neque enim utique erit beatus, qui in his coronatur, que cum presenti simul dissoluuntur uita, et umbra uelocius decurrunt. Dicens autem quoniam merces uestra multa est, induxit et aliam consolationem dicens. Ita enim persecuti sunt prophetas qui fuerunt ante uos. Quoniam enim ille tardabat, id quod erat regni, et in spe erat, hinc eis tribuit mitigationem, a comunione eorum qui ab ipsis male passi sunt. Ne enim estimetis ait, quoniam contraria quedam dicentes, et in legislationem ferentes, hec patimini. Vel quoniam malignorum dogmata existentes magistri, abigemini ab ipsis, non enim malicie eorum que dicuntur, set malignitatis eorum qui audiunt, sunt insidie et pericula. Vnde neque uobis qui mala patimini detrahunt, sed illis qui male faciunt, et testatur eis uniuersum anterius tempus. Neque enim prophetas iniquitatis, et deo contrarie mentis incusantes, hos quidem lapidabant, hos autem abigebant, hos autem decem milibus aliis, circum mittebant malis. Neque utique hoc turbet uos. Ab eodem enim consilio, et uniuersa que nunc sunt agunt. Vides qualiter mentem eorum suscitauit, prope eos qui circa moisen et heliam sunt stauens illos? Ita et paulus thesalonicencibus scribens ait. Vos enim imitatores facti estis ecclesiarum dei, que sunt in iudea. Etenim et uos eadem passi estis a propriis contribulibus, sed sicut que et illi a iudeis qui et dominum interfecerunt ihesum, et proprios prophetas, et nos persecuti sunt et deo non placent, et omnibus hominibus sunt contrarii, quod utique et hic demonstrat christus. Et in aliis quidem beatitudinibus dixit, beati pauperes et misericordes. Hic autem non indeterminate id posuit, sed ad ipsos uertit sermonem dicens. Beati estis cum exprobrauerint uos, et dixerint omne uerbum pernitiosum. Monstrans quoniam eorum hoc maxime precipuum est, et super alios uniuersos, magistrorum proprium est hoc. Simul autem et eius dignitatem hic enigmatace insinuat, et ad genitorem honoris coequalitem. Quemadmodum enim illi propter patrem ait, ita et uos propter me hec patimini. Cum autem dixerit prophetas qui fuerunt ante uos, monstrat et ipsos prophetas iam factos. Deinde monstrans quoniam hoc maxime eis prodest, et facit preclaros, non dixit quoniam mala quidem dicent et persequentur. Ego quidem prohibeo hoc. Non enim in non audiendo mala sed inferendo uiriliter cum mala audientes, et in arguendo eos per opera, et stabilitatem eis uult esse. Multo enim est hoc maius illo. Quemadmodum percussus nichil pati malum, multo maius est quam non percuti. Hic quidem igitur ait, quoniam merces uestra multa est in celis. Lucas autem, et intense, et cum ampliori mitigatione, hoc ipsum dixisse ait. Non enim utique solum eos qui male propter deum audiunt beatificare ipsum ait, sed et eos qui audiunt bona ab hominibus, miseros uocat. Ve enim uobis ait, cum bene dixerint uobis omnes homines. Quam uis et apostoli dixerunt bene set non omnes. Propter hoc non dixit, cum bene uobis dixerunt homines, sed cum omnes. Neque enim possibile est eos qui uiuunt in uirtute, ab omnibus audire bene. Et rursus ait, cum expulerint nomen uestrum tanquam pernitiosum letamini et exultate. Neque enim periculorum solum que sustinuerunt, sed et male locutionis multam determinat retributionem. Propterea non dixit cum

Commented [CN37]: regnum add. super lin.

Commented [CN38]: [fol.49rb]

Commented [EK39]: id est regnum add. super lin.

Commented [EK40]: uos add. super lin.

Commented [EK41]: uestra add. super lin.

Commented [EK42]: antiqui add. super lin.

Commented [CN43]: [fol.49va]

Commented [EK44]: audiunt add. super lin.

abegerint et interfecerint, set cum exprobauerint, et dixerint omne pernitiosum. Maxime enim rebus ipsis difficilium, mordent accusationes. In periculis enim, multa sunt que alleuiant dolorem, puta ab omnibus confortari, multos habere applaudentes, et coronantes, et famam predicantes, hic autem in **malediccione**, et ipsa destructa est mitigacio. Non enim uidetur magna esse **direccio** et periculis magis **mordet** eum qui in hoc agone positus est. Multi itaque et circa laquei suffocationem uenerunt, perniciosam non ferentes **doxam** id est gloriam. Et quid miraris in aliis? Traditorem enim illum in uerecundum et sordidum, et ad omnia sine rubore incedentem simpliciter, hoc maxime ad laqueum procedere preparauit. Et iob autem qui adamante et petra fuit solidior, cum pecunie ei auferentur, et intollerabilia passus esset mala, et sine filiis factus fuisset, et fontem uermium corpus emanantem uideret, et mulierem inminentem reppulit cum facilitate omnia. Vbi autem uidit amicos exprobantes, et superuenientes, et perniciosam doxam de ipso abentes, et dicentes pro peccatis hec pati, et malicie **dare** uindictam, tunc tumultuatus est, tunc turbatus est, magnus et nobilis ille. Et dauid autem uniuersa dimittens que passus est, pro accusatione illa, remunerationem querebat a deo. Dimitte enim eum maledicere ait dauid. Quoniam dominus mandauit ei, ut uideat dominus humilitatem meam, et retribuatur michi pro malediccione illa que est in die hac. Sed et paulus non eos qui periclitantur solum, neque eos quibus ablata sunt omnia sua, sed et **hos** ut famosos predicat, ita dicens. Rememoramini priorum dierum in quibus illuminati multum certamen passionum sustinuitis. Hoc quidem exprobationibus et tribulationibus diuulgati. Propter hoc multam mercedem posuit christus. Deinde ne aliquis dicat hic non resistis, neque precludis eorum ora, et illic mercedem das, posuit profetas, monstrans quod neque illic restitit deus. Si autem ubi ante oculos erant retributiones, a futuris eos confortauit, multo magis nunc cum uehementior hec facta est spes, et maior philosophia. Vide autem et post quanta mandata id posuit, neque enim simpliciter id fecit, set manifestans quod non potest qui non omnibus illis preparatus est **et** applausus, ad hos exire agones. Propterea a priori semper sequenti uiam faciens mandato, catenam nobis quandam auream subtexit. Qui enim humilis est et propria omnino lugebit peccata. Qui luget, et mitis erit et iustus et misericors, qui misericors et iustus, et compunctus est, omnino et mundus corde. Qui autem talis est et pacificus. Qui autem hec omnia direxerit, et ad pericula erit preparatus, et non turbabitur, audiens mala et decem milia paciens pernitiosa. Cum consuliisset igitur que decebat, rursus mitigat laudibus eos. Quoniam enim excelsa precepta erant et multo maiora his que inueteri testamento, ut non tumultuentur et tribentur, et dicant, qualiter poterimus hec dirigere? audi quid ait. Vos estis sal terre, monstrans quod necessario hec iniungit. Non enim pro uita que est secundum ipsos, set pro orbe uniuerso ait, sermo erit uobis. Neque enim ad duas ciuitates, et decem, et uiginti, neque ad unam gentem uos mitto quemadmodum prophetas, set ad terram, et mare, et orbem uniuersum, et hunc male dispositum. In dicendo enim uos estis sal terre, monstrauit **stultam** factam esse uniuersam humanam naturam, et in putrefactam a peccatis. Propterea has ab ipsis inquirunt uirtutes que maxime ad multoties procuracionem sunt necessarie et utiles. Mitis enim et mansuetus et misericors et iustus, non in seipsum concludit directiones solum, set et in aliorum utilitatem bonos hos super effundi preparat fontes. Mundus igitur corde et pacificus et cum abigitur pro ueritate, rursus ad id quod communiter confert, uitam suam construit. Ne igitur estimetis ait, ad contingentes agones trahi, neque pro paruus quibusdam esse sermonem uobis. Vos estis sal terre. Quid igitur? putrefacta ipsi emendant, nequaquam. Neque enim possibile est eis que corrupta iam sunt in spargentes sal prodesse. Non utique hoc faciebant,

Commented [EK45]: mala locucione *add. super lin.*

Commented [EK46]: si patienter ferimus iniurias *add. super lin.*

Commented [CN47]: [fol.49vb]

Commented [EK48]: uel opinionem *add. super lin.*

Commented [EK49]: soluere *add. super lin.*

Commented [EK50]: qui patienter ferunt iniurias *add. super lin.*

Commented [CN51]: [fol.50ra]

Commented [EK52]: uel uanam *add. super lin.*

set renouata prius et tradita eis, et a fetore illo eruta, tunc salliebant detinentes et obseruantes innouitate hac, quam a dominatore acceperunt. Eripi enim a peccatorum putrefactione, christi directio est. Non reuerti autem rusus ad eam, studii et fatigationis horum, opus erat. Vides qualiter paulatum monstrat, et prophetis esse eos meliores? Non enim palestine esse magistros ait, set et terre uniuerse, et non simpliciter magistros, set et terribiles. Quod enim utique est mirabile, hoc est quoniam non blandientes neque curam imponentes, set stipticitatem imittentes tanquam sal, ita amabiles omnibus facti sunt. Ne igitur miremini ait, si alios dimittens uobis loquor, et ad tanta traho pericula. Intelligite enim quantis ciuitatibus, et plebibus, et gentibus, mittam uos doctores. Propterea non uos esse uolo sapientes solum, set et alios tales facere. Eos autem qui tales sunt, multum oportet prudentes esse, in quibus aliorum periclitatur salus. Et tantam eis superhabundantiam esse uirtutis, ut et aliis tradant utilitatem. Si enim tales non efficiemini, neque uobis ipsis placebitis. Ne igitur tristemini quasi honerosis existentibus his que dicuntur. Alios autem stultos effectos, possibile est reuerti pueros. Vos autem si hoc passi fueritis, uobiscum et alios simul perditis. Quare quanto maiora uobis imponuntur precepta, tanto et maiori indigetis studio. Ideo ait. Si autem sal stultum efficietur in quo salietur, in nullo potest amplius nisi mitti extra, et conculcari ab hominibus. Alii enim, decem milies cadentes, possunt potiri uenia. Magister autem si hoc pacietur, omni priuatus est excusatione, et ultimum dat supplicium. Vt enim non audientes cum exprobrauerint et persecuti fuerint et dixerint omne pernitiosum aduersum uos, formident in medium procedere, dicit, si non ad hec fueritis preparati, uane miseremini. Non enim mala audire oportet trepidare, set ypocritas apparere. Tunc enim stulti efficiemini et conculcabimini. Si autem manseritis uobis ipsis stipticitatem inferentes, deinde mala audientes, letamini. Hoc enim salis est opus mordere et contristare molles. Quare necessario accusatio sequitur, nichil uobis nocens, sed et testans uestre soliditati. Si autem timentes eam traditis decentem uobis ualiditatem, multo deterius paciemini, et mala audientes, et contempti ab omnibus. Hoc enim est conculcari. Deinde ad aliud excelsius agit exemplum. Vos estis lux mundi. Rursus mundi non gentis unius, neque uiginti ciuitatum, set orbis uniuersi. Et lux intellectualis, et radio hoc, multo melior. Quemadmodum et sal spirituale. Et prius sal et tunc lux. Vt discas quam magna est stipticorum uerborum utilitas, et honeste doctrine proficuum. Etenim stringit, et non dimittit efflui. Et uidere facit, ad uirtutem auxilium porrigens. Non potest ciuitas abscondi supra montem posita, neque accendunt lucernam, et ponunt sub modio. Rursus eos per hec incertitudinem ducit uite. Erudiens sollicitos esse ceu in oculis omnium positos, et in medio orbis terrarum teatro, certantes. Ne hoc utique noueritis ait, quod hic sedemus nunc, et in parua anguli particula sumus. Ita enim eritis manifesti omnibus, sicuti ciuitas supra uerticem montis posita, uelut lucerna in domo, supra lucernale lucens. Vbi nunc qui uirtuti christi non credunt, audiant hec. Et prophecie uirtutem stupentes, adorent eius uirtutem. Intellige enim quam magna promittit his qui neque in regione propria cogniti erant. Quoniam terra et mare eos cognoscet. Et ad fines orbis terrarum uenient fama. Magis autem non fama, set beneficii energia id est actu. Neque enim fama ferens ubique manifestos eos fecit, set et ipsa demonstratio que per opera est. Quemadmodum enim alati effecti, radio ualidius in terram uniuersam cucurrerunt seminantes pietatis lumen. Hic autem michi uidetur eos et ad propalationem incitare. Dicere enim non potest ciuitas abscondi supra montem posita, suam uirtutem est ostendentis. Quemadmodum enim illam abscondi est operosum, ita predicationem sileri, et latere est impossibile. Quoniam enim dixit persecutiones et maledictiones et insidias et prelia, ut non

Commented [CN53]: [fol.50rb]

Commented [EK54]: restaurari add. super lin.

Commented [CN55]: uel euanuerit add. super lin.

Commented [CN56]: [fol.50va]

Commented [EK57]: pro add. super lin.

Commented [EK58]: uel fortitudinem add. super lin.

Commented [EK59]: ducit add. super lin.

Commented [EK60]: fuit add. super lin.

Commented [EK61]: uel dicatis add. super lin.

Commented [EK62]: candelabrum add. super lin.

Commented [CN63]: [fol.50vb]

estiment quod hec eos obstruere poterunt, confortans eos ait, quod non solum si latebit, sed et illuminabit orbem terrarum uniuersum, et propter hoc igitur ipsum, erunt preclari et insignes. In hoc igitur suam uirtutem demonstrat. In eo autem quod est deinceps liberam propalationem, que est ab ipsis expetit ita dicens. Neque accendunt lucernam et ponunt sub modio, set supra lucernalem et lucet omnibus qui sunt in domo, ita luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant opera uestra bona, et glorificent patrem uestrum qui est in celis. Ego enim accendi lucernam ait, manere autem eam ardentem, uestri sit studii. Non propter uos ipsos solum, set propter claritatem hanc potituros et ad ueritatem ducendos. Neque enim poterunt accusationes obumbrare uestram claritatem, si uos fueritis cum diligentia uiuentes, et ita ut uniuersum orbem terrarum conuersuri. Dignum igitur est gracie uitam demonstrare, ut quemadmodum illa ubique predicatur, ita hec et illi concurrat. Deinde et aliam utilitatem ponit cum salute hominum, sufficientem eos, sollicitos facere, et in omne inducere studium. Non enim orbem terrarum emendabitis ait solum, recte uiuentes, sed et deum glorificari preparabitis. Quemadmodum contrario facientes et homines perire et dei nomen blasphemari facietis, et qualiter ait deus glorificabitur per uos, si tamen uos acusauerint homines, set non omnes. Sed et illi ipsi qui in emulatione hoc faciunt, secundum conscienciam uos amirabuntur et acceptabunt. Quemadmodum qui manifeste blandiuntur, his qui in malitia uiuunt, secundum intellectum detrahunt. Quid igitur? ad ostentationem iubet nos uiuere, et ad honoris amorem? absit, non hoc aio. Neque enim dixi studete uos in medium ferre directiones uestras. Neque enim dixi monstrate eas. Sed luceat lux uestra et hoc est multa sit uirtus, et copiosus sit tibi ignis, et lux ineffabilis. Cum enim tanta fuerit uirtus, impossibile est eam latere, etsi decem milies pertransit eam obumbrauerit. In reprehensibilem uobis ipsis tribuite uitam. Et nullam habent ueram accusationis occasionem. Etsi decem mille fuerint qui accusant, nullus uobis inumbrare poterit. Et benedixit lucem. Nichil enim ita insignem hominem facit, etsi decem milies latere uoluerit, ut uirtutis demonstratio. Quemadmodum enim ipsum radium circum amictus, ita eo clarius lucet. Non in terram candores emittens, set et ipsum superexcedens celum. Hinc et magis mitigat eos. Si enim doletis, ait blasphematis, sed habebitis multos, qui et propter uos ammirantem deum. Alterutrunque autem merces uestra congregatur, et glorificato deo propter uos, et blasphematis uobis propter deum. Vt enim non studeamus mala audire dicentes quod mercedem hoc habet, neque illud simpliciter posuit, set cum duabus determinationibus. Puta cum mendacia dicerentur, et propter deum, et monstrat quod non illud solum, set bona audire, multam fert utilitatem gloria ad deum perueniente, et benignam eis, substituit spem. Non enim tantum ait, potest accusatio perniciosorum, ut et alios obtenebret ad uidendum lucem uestram. Cum enim stulti efficiemini, tunc uos conculcabunt solum, non cum recta agentes detracti fueritis. Tunc enim et multi erunt qui admirantur, non uos solum, sed et propter uos et patrem uestrum. Et non dixit deum, sed patrem. Dande eis nobilitatis, preimmittens iam semina. Deinde monstrans honoris coequalitatem, superius quidem dixit, ne tristemini cum mala audieritis, sufficit enim uobis propter me hec audire. Hic autem, patrem ponit. Vbique equalitatem demonstrans.

Scientes igitur ea que sunt ab utilitate studii huius, et desidie periculum, nostra enim perditione multo deterius est, dominatorem nostrum blasphemari propter nos, inoffensi fiamus et iudeis, et grecis, et ecclesie uniuerse, et uitam sole preclariorem tribuentes. Et si quis uolerit accusare, non in mala audiendo dolentes sed iuste audiendo mala. Si enim in malicia uixerimus, etsi nullus qui

Commented [CN64]: ore add. super lin.

Commented [CN65]: predicacio add. super lin.

Commented [CN66]: [fol.51ra]

Commented [EK67]: mentem add. super lin.

Commented [EK68]: emendationes add. super lin.

Commented [EK69]: qui add. super lin.

Commented [EK70]: uel eo add. super lin.

Commented [CN71]: [fol.51rb]

Commented [CN72]: Morale XV. quod si uixerimus in uirtute, et ab odientibus nos ammirabimur, et de obtima uita.

Commented [EK73]: nos add. super lin.

accuset sit, omnibus sumus miseriore. Si autem uirtuti insudauerimus, etsi orbis terrarum dixerit mala, tunc omnibus erimus zelotes, omnes attraemus, eos qui saluari eligunt. Neque enim accusationi malignorum, sed uirtuti uite intendunt. Etenim bucina uniuersa, clarior est demonstratio que est per opera. Et lumine ipso apparentior uita pura, etsi decem milia qui detrahunt fuerint. Si enim uniuersa que predicta sunt habuerimus, et mites et humiles, et misericordes erimus, et puri et mundi et pacifici, et mala audientes, non re exprobauerimus, sed et letati fuerimus, signis non minus attrahemus eos qui inspiciunt nos et libenter uniuersi ad nos uenient, etsi fera, etsi demon quidam fuerit, etsi aluit quodcumque. Si autem fuerint quidam qui maledicunt, in nullo hinc tumultueris, neque quod tibi publice iniuriantur inspicias, set scrutare illorum conscienciam, et uidebis applaudentes tibi et ammirantes, et decem mille numerantes laudes. Vide itaque qualiter nabuchodonosor laudat pueros qui in camino fuerunt, quamuis inimicus erat et hostis. Sed quoniam uidet uiriliter stantes, ubique eos predicat et coronat. Propter nullum quidem aliud, sed quoniam eum non audierunt et legi dei obedierunt. Diabolus enim cum uiderit seipsum nichil expletem, secedit iam trepidans ne ampliorum nobis coronarum causa efficiatur, et illo abscedente, etsi inquinatus et corruptus fuerit aliquis, cognoscat uirtutem, nebula illa recedente. Si autem et homines paralogizantur, a deo habere laudem et miraculum maius. Ne igitur doleas, neque deses fias, quoniam et apostoli his quidem odor mortis erant, his autem odor uite. Si enim tu nullum tribueris nocumentum, ab omnibus erutus es accusationibus, magis autem et beator effectus es. Fulge igitur secundum uitam, et accusantium nullam habe curam. Non enim est uirtuti insudantem, non multos habere inimicos. Sed nichil horum est, aut uirtuosum. Per hec enim clarior magis eris. Hec igitur excogitantes unum solum inuestigemus, cum diligentia nostram dispensare uitam. Ita enim ad uitam que illic est, auxilium porrigemus his qui in tenebris sedent. Talis enim est luminis uirtus, ut non hic solum luceat, set et illic ducat eos qui sequuntur. Cum enim uiderint omnia presentia nos contempnentes, et ad futura preparatos, ante omnem sermonem operibus nostris credent. Quis enim, ita amens, ut uidens eum qui heri et ante lasciuiebat, et ditabatur, omnia exutum et ad famem et inopiam et duram uitam et ad pericula, et sanguinem, et occisionem, et ad omnia que uidentur esse periculosa preparatum, non manifestam accipi et futurorum hic demonstrationem? Si autem presentibus nosmetipsos implicauerimus et intus nos immiserimus, qualiter poterunt credere quod ad abscessionem aliam festinamus? que autem iam nobis erit excusatio? cum quantum potuit humana gloria apud grecorum, philosophos non potest apud nos dei timor? Etenim quidam illorum et pecunias exuti sunt, et mortem contempserunt, et hominibus ostendantur. Ideoque uacua facta est eorum spes. Quis igitur nos eripi et sermo, cum tot preiacentibus et tanta philosophie nobis aperta, neque eadem poterimus que illi. Sed et nosmetipsos et alios simul perire facimus? neque enim ita nocet grecus iniqua agens, ut christianus talia faciens, et ualde decenter. Illorum enim corrupta est gloria. Nostra autem per dei gratiam et apud impios est honesta et illustris. Ideo cum maxime nobis exprobare uoluerint et accusationem augere hoc dicunt, heu christianus. Non utique dicentem nisi magnam de dogmate haberent suspicionem. Non audisti quot et quam magna christus precepit. Quando igitur poteris unum illorum explere mandatorum? Cum omnia dimittens, circumeas usuras congregans, mutuuum sarcians, negociationes componens, greges seruorum emens, argentea uasa construens, agros et domos et tunicas emens mille? et utinam hoc solum. Cum autem temporaneis his studiis, et iniustitiam apposueris terram incidens, domos euellens, inopiam conterens, famem angens, quando poteris ianius his superuenire? Sed est

Commented [EK74]: magis add. super lin.

Commented [EK75]: saltem add. super lin.

Commented [CN76]: [fol.51va]

Commented [EK77]: id est decipiuntur add. super lin.

Commented [EK78]: omnem add. super lin.

Commented [EK79]: uel ratio add. super lin.

Commented [CN80]: [fol.51vb]

Commented [EK81]: terminis add. super lin.

Commented [EK82]: cum omnia emis add. super lin.

quando et inopum misereris, noui et ego. Sed et illic multa rursus est pestilencia. Vel enim cum superbia uel cum uana gloria hoc facis. Vt neque in bonis lucreris. Quo quid fiet unquam miserabilius, cum et in portu naufrageris? Vt igitur non hoc fiat, cum feceris aliquod bonum, ne queras a me gracia, ut deum habeas debitorem. Mutuamini enim ait, a quibus non estimatis assumere. Habes **debitorem**. Quid illum dimittens me expetis hominem in opere et miserum? numquid tristatur debitor, si expectatur, numquid enim inopes est? numquid enim non uult **soluere**? non uides eius ineffabiles thesauros, non uides in enarrabilem honorem? ipsum igitur detine, et expete. Sic enim cum expetitur letatur. Quoniam si expetitur uidetur pro quibus ipse debet, ut iniuriam passus, ita disponetur, et non ultra tibi reddit. Sed et incusat iuste. Quam enim meam **ignorantiam** cognouisti ait. Quam meam **inopiam** cognouisti? quo transcurrens me ad alios uenis? alii mutuatus es, et alium expetis? Etsi enim, homo suscepit, si deus iussit tribuere. Et ipse principalis debitor et fide iussor esse uult. Decem **mille** tibi tribuens ocasiones undique eum expetendi. Ne igitur tantam facilitatem et commoditatem dimittens, a me aliquid accipere pete qui nichil habeo. Cur enim michi ostenderis misereris inopis, numquid ego dixi tibi da? Numquid a me audisti, ut a me expetas? ipse dixit qui miseretur inopis, mutuatur deo. Deo mutuatus es, ipsi circumponaris. Sed non reddit totum nunc. Et hoc pro te facit. Talis enim est debitor, non ut multi quod mutuo datum est, student reddere solum. Sed ut et quod datum est, instabilitate deponat, omnia negociatur et facit. Propter hoc hec quidem hic soluit, hec autem illic conseruat. Hec igitur scientes, multam faciamus misericordiam, et multam philanthropiam id est amorem hominum demonstramus, et per pecunias et per res. Etsi uiderimus aliquem male patientem, et percussum in foro, etsi argentum possibile sit tribuere, faciamus. Etsi sermonibus possibile sit dissoluere, ne pigritemur, est enim et sermonis merces, magis autem et gemitus est merces. Et hoc beatus iob dixit. Ego plorauit in omni impotente, ingemuit autem uidens uirum in necessitatibus. Si autem lacrimarum et gemituum est merces, cum et sermones et studium et multa alia affuerint, excogita quam magna retributio efficitur. Etenim et nos inimici fuimus dei, et unigenitus nos pacificauit, medium seipsum immittens, et plagas pro nobis suscipiens, et mortem pro nobis sustinens. Studeamus igitur et nos eos qui occurrerint, a decem milibus eripere malis. Sed non ut nunc facimus, cum uiderimus quosdam simul se percutientes et conscindentes ad inuicem, stamus letati illorum de turpationibus. Et spectaculum in circuitu diabolicum statuantes. Quo quid fiet unquam crudelius? uides audientes mala, recisos, incidentes uestem confringentes faciem, et sustines quiete assistere? numquid ursa est, qui preliatur, numquid fera, numquid serpens, homo est **qui** ubique tibi communicat, frater est, membrum est tuum. Non inspice, sed dissolue, ne leteris, sed emenda, ne alios commoueas adinde formitatem, sed et congregatos expelle et dissolue. Inuerecundorum enim est talibus letari miseriis. Vides hominem deturpatum, et non estimas ipse deturpari? Neque ingrederis medius, et segregas diaboli agmen, et humana dissoluis mala? Vt et ipse accipiam plagas ait, et tu hoc iubes? Maxime quidem. Neque tu hoc patieris. Si autem et hoc patiaris, testimonium tibi hoc erit. Propter deum enim passus es. Si autem plagas pigritaris accipere, excogita quod dominator tuus cruce non pigritatus est propter te sustinere. Illi enim ebrii sunt, et obtenebrantur, furore ut tyranno dominante eis. Indigent autem aliquo sanante et auxiliante eis, et qui iniustitiam facit, et qui iniustitiam patitur, hic quidem, ut eripiatur patiens mala, hic autem qui escat faciens mala. Transi igitur et manum porrige ebrius, est enim et ire ebrietas, et ea que est ex uino difficilior. Nonne uides nautas, qui cum in naufragium quosdam incidentes uiderint, uela expandentes cum multo

Commented [EK83]: deum add. super lin.

Commented [EK84]: deponere add. super lin.

Commented [EK85]: uel ingratitudinem add. super lin.

Commented [CN86]: [fol.52ra]

Commented [CN87]: [fol.52rb]

uadunt studio, ut eos qui sunt eiusdem artis secum eripiant ex procellis? Si autem artis communicatores, tantam demonstrant affectionem, quanto magis naturae communicatores, hec omnia facere iustum est? Etenim et hic naufragium est illo difficilius. Vel enim blasphemauit exacerbatus, et omnia euacuauit, uel deierauit ab ira uictus, et rursus in gehennam incidit, et plagam dat, et occisionem perpetrat. Et hoc ipsum rursus sustinet naufragium. Abi itaque et siste malum hoc, et eos qui submerguntur euelle, in ipsum tempestatis pelagus descendens, et dissoluens diaboli spectaculum. Et seorsum accipiens unumquemque, consiliare, comprime flammam, et undas tranquillas fac. Si autem maior ignis et difficilior efficietur caminus, ne timeas. Multos enim habes coadiutores, et manum porigentes, si principium solum tribueris, et ante omnes, pascis deum. Etsi primus inceperis extinguere flammam, multi et alii te sequentur, et eorum que ab illis directa sunt, accipies mercedem. Audi quid consiliatus est christus iudeis in terram reptantibus, si animal uideris inimici tui ait, cadens, ne transcurras, sed id eleua. Quamuis si iacens animal oportet leuare, multo facilius est preliantes homines dissoluere et pacificare. Si autem inimicorum asinum, multo magis amicorum animas erigere oportet, et maxime cum difficilior erit casus. Non enim in gurgitem ipse cadunt, sed in gehenne ignem, onus non ferentes ire. Tu autem uidens fratrem sub onere pressum, et diabolum instantem, et ignem ascendentem, transcurris crudeliter et inmisericorditer. Quod neque in irrationali facere est sine periculo. Et samaritanus quidem uidens uulneratum, et in nullo ei attingentem, et stetit et super iumentum ascendere fecit, et in stabulum induxit, et medicum mercede conduxit. Et hoc quidem, dedit argentum, hoc autem promisit. Tu autem non in latrones incidentem uidens, sed demonum agmina, et furoris dominationem, non in solitudine, sed in foro medio, non pecunias consumpturus, neque iumentum conducturus, neque longa uia deducturus, sed uerba solum locuturus, pigritaris, et tardas, et transcurris crudeliter et inmisericorditer? Et qualiter estimas, deum inuocans, propitium umquam habere. Dicam autem et ad uos qui publice deturpamini, ad te qui exacerbatus et iniusta agis, plagas immittis, dic michi, et calcitras, et mordes sus siluestris factus es, et onager immittis, et non uerecundaris, neque rubes, feralis effectus, et propriam cognationem tradens? Etsi enim tector es, et artifex, sed christianus. Etsi enim inops es, sed liber. Propter hoc igitur ipsum qui inops es, necessarium est quiscere, diuitem enim est preliari, non inopum, diuitum qui multas habent coactiones bellorum. Tu autem uoluptatem diuitiarum non habens, ea que sunt aduersus diuitias circuis, congregans tibi ipsi inimicicias et lites et prelia, et suffocas fratrem, et angis, et summittis publice omnibus uidentibus, et non estimas magis ipse deturpari, irrationalium imitans impetus? Magis autem et illis deterior factus. Omnia enim illis sunt communia, et congregantur ad inuicem, et simul ambulant, nobis autem nichil comune, sed omnia superius et inferius, prelia, lites, contumelie, et odia, et iniurie. Et neque celum uerecundamur in quod uocati sumus communiter uniuersi, neque terram, quam communem omnibus permisit, non ipsam naturam. Sed omnia furor et pecuniarum desiderium attrahens, confundit. Non uides illum qui decem milia talenta debebat. Deinde post illorum dimissionem, suffocantem conseruum suum, pro centum denariis, quot sustinuit mala? Et qualiter immortalis traditus est supplicia, non trepidas hoc exemplum, non times ne et ipse eadem patiaris? Etenim et nos debemus dominatori multa, et magna debita, sed tamen remittit, et longanimitate fert, et neque imminet, quemadmodum nos conseruet, neque angit, et suffocat, quamuis si et minimam particulam eorum nos uellet expetere, olim utique perissemus. Hec igitur intellegentes dilecti humiliemur, et gratiam habeamus his qui debent nobis. Efficiuntur enim nobis si philosophamur,

Commented [CN88]: [fol.52va]

Commented [CN89]: [fol.52vb]

Commented [CN90]: [fol.53ra]

ocasio maximae ueniae, et pauca dantes multa accipiemus. Quid itaque expetis cum uiolentia? cum deceret si et ille uellet dare, ei concedere ut a deo totum accipias. Nunc autem omnia facis, et uim infers et litigas, ut nichil tibi dimittatur tuorum. Et uideris quidem trucidare proximum, aduersus teipsum autem gladium impellis, augens supplitium quod est in gehenna. Si autem paululum hic philosopharis, mansuetas tibi noxas facis. Etenim deus propterea nos uult talem donationem **incipere**, ut occasionem accipiat, ampliora nobis retribuendi. Quotcumque igitur debitores habes, et pecuniarum et peccatorum, omnes dimittens liberos, deum expete, talis magnanimitatis remunerationum, donec enim illi fuerint debentes, non habebis deum debitorem. Si autem illos dimiseris, poteris deum detinere, et expetere cum multa largitione, talis philosophie remunerationem. Si enim homo pertransiens et uidens te, eum qui obnoxius est desinentem, et iubens illum quidem dimittere, ad ipsum autem habere rationem que est ad illum, non utique eligeret ingratus esse post dimissionem, quasi ad seipsum omnia transponens, qualiter deus, non multiplicata decem milies restituet, cum et propter eius preceptum eos qui obnoxii nobis existunt nullatenus incusantes, dimittemus abire absolutos? ne utique temporaneam hanc excogitemus uoluptatem, innatam nobis in exquirendo obnoxias. Sed dampnum quantum in futurum hinc sustinebimus, immortalibus nobis ipsis officientes. Omnibus igitur superiores effecti, gratis demus et pecunias et peccata, obnoxiiis nobis. Vt mansuetas nobis ipsis noxias construamus, et quod non potuimus per aliam uirtutem explere, hoc in non rememorando mali proximorum adipiscentes, eternis potiamur bonis, gratia et misericordia domini nostri ihesu christi, nunc et semper et in secula seculorum amen.

Commented [CN91]: [fol.53rb]